

**Dissertatio inauguralis medica de labiis leporinis, von Hasen-Scharten ... /
[Johann Philipp Hofmann].**

Contributors

Hofmann, Johann Philipp, active 1686.
Franck von Franckenau, Georg, 1643-1704.
Universität Heidelberg.

Publication/Creation

[Heidelbergae] : Imprimebat Joh. David Bergmann. Walterian, [1686]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/eubugwbk>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

LABIIS LEPORINIS,

Von Hasen-Scharten/

Quam

TRIVNO NUMINE,

CONSENTIENTE GRATIOSISSIMA FACULTATE MEDICA,

ILLVSTRIS ET PERANTIQVI HVIVS ATHENAEI HEIDELBERGENSIS

SECULARI FESTIVITATE TERTIA

PRÆSIDE

VIRO MAGNIFICO, AMPLISSIMO, EXCELLENTISSIMO, EXPERIENTISSIMOQUE

DN. GEORGIO FRANCO,
MED. & PHIL. D. PP. UNIVERS. PRO-CAN-

CELLARIO. FACULT. MED. DECAN. ET SENIORE, DN. ELECT.

TREVIRENS. ET DN. MARCHION. BADENS. ARCHIATR. ACAD. S. R. I.

NAT. CVRIOS, ET ITAL. RECUPERAT. COLLEGA, C. P. CAESAREQ,

HVIVS ACADEMIAE p. t.

DNO. PRO-RECTORE,

DNO. PATRONO, PRÆCEPTORE NEC NON HOSPITE

IN OMNI VITA DEVENERANDO,

PRO LICENTIA

SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES DOCTORALES, IMMV-

NITATES ATQVE PRIVILEGIA LEGITIME CONSEQVENDI

EXCELLENTISSIMORVM DNN. PROFESSORVM ALIORVMQVE ERVDI-

TORVM BENIGNAE CENSURAE SVBMITTET

JOHANNES PHILIPPVS Hofmann/

Trarbacô - Mosellanus.

Ad diem XVIII. Nov. M DC LXXXVI.

IN BRABEVTERIO VNIVERSITATIS

Horis locoque solitis

Imprimebat JOH. DAVID. BERGMANN. Walterian. Heres,
Elect. & Acad. Typogr.

✽ * * ✽

Ad Momum.


PΑΟΝ ΜΩΜΕΙΣΘΑΙ, Η
ΜΗΜΕΙΣΘΑΙ.

✽ * * ✽



J. N. S. S. T.

Proœmium.


 Uot indissolubilibus ferè nodis Gordius ille nodus constabat, quem potentissimum illum Domitorem multarum Gentium, celeberrimumque Monarcham plurimarum Regionum Alexandrum Magnum singulari prudentiâ solvisse in Quinti Curtij Historia legimus; tot quoque Affectus intricatissimi in nostro corpore humano, nodo Gordio vere simillimi reperiuntur, qui non minus difficiles solutu quàm curatu sunt. Etsi verò ejusmodi Affectus in Praxi quandoque soleant occurrere, rariores certè sunt in Tractatione, deque quibus altum est aliquando quibusdam silentium. Quando itaque ante breve temporis, Divinà Clementiâ, peractis Examinibus, Thematibusque Theoretico & Practico resolutis, Gratiōsa, Perantiqui & Illustris hujus Athenai Heidelbergensis, Facultas Medica benignissimè mihi concesserit, Thema quoddam pro Dissertatione Inaugurali eligendi, hoc præ reliquis, partim propter materia raritatem, partim verò propter ejus necessitatem de **L A B I I S L E P O R I N I S**, mihi arrisit. Si igitur hinc inde erravero, aut adhuc errare & impingere Tibi, Benivole Lector, forsan videbor, illud & ingenii mei tenuitati & inconcinno Tractationis hujus ordini atque methodo, insuper Affectus, ut modò dictum, raritati, temporisque brevitati, maximè autem Tue indulgentiæ

tia imputabis, huncque laborem aequo atque bono feres Animo, quicumque hanc Dissertationem legeris aut adspexeris, quod Humanitatis genus omnibus nervis compensare studebo. Ego autem mihi gratulor, meque ideo ter felicem deprecator, quoniam sub Tutela Serenissimi Principis ac Domini, Domini PHILIPPI WILHELMII, Comitis Palatini, atque Electoris, etc. etc. Domini mei Clementissimi FESTIVITATEM SECVLAREM TERTIAM hujus Illustris Athenaei Heidelbergensis, maximo omnium applausu proxime celebrabimus: Floreat Illustre hoc Lyceum, vivant Proceres Academia ejusdem in florentissima juventutis commodum, subque Tutela Serenissimi Principis ac Domini &c. Universitas hac majora quam unquam capiat incrementa. Tu vero, Aeternae Deus, sicut hactenus gratia tua paternae me adjuvasti, ulterius clementiam mihi assiste tuam.

CAPUT I.

Onomatologia. Ante omnia vero, & in omni Contemplatione optimum inventionis initium est, prius exacte cognoscere, quidnam sit illud, de quo disputetur, prout docet Galenus *Libr. Vtrum Medicina vel Gymnastica sit Hygiene Cap. I.* Affectus igitur de quo sermo nobis instituendus, dicitur *LABIA LEPORINA*, prout omnibus est haec sententia, inter alios vid. *SYLV. Libr. III. Praef. C. XII. §. 28. seqq. p. 584. Joh. van. HORNE in Microtechne p. m. 83. §. 9. LVNGKEN Chym. experiment. Sect. VII. Cap. 25. p. 757.*
Schmitz

SCHMITZ Comp. V. M. P. p. 281. BARBETTE in Chirurg. Part. I. C. 27. p. 94. ut & BLASIVS Med. Vnivers. Therap. Spec. p. 300. Sect. V. Cap. 2. M. Aur. SEVERIN. d. Efficaci Medicina, Part. II. p. 118. Cap. 125. VVEICKARD. Thesaur. Pharmaceut. Galeno Chymico. p. 622. libr. IV. SENNERT. Pr. Med. p. 9. C. IV. libr. II. SEBIZ. Spec. pr. Med. Tom. 1. C. 3. p. 437. AMMANN. Paranes. ad discipulos p. 411. seqq. Hi omnes, ut & adhuc alii, unanimiter uno eodemque nomine Labia Leporina solent indigitare. Quoad

Synonymiam, dicuntur Labia Leporina alio nomine FISSURÆ (ita tamen ut à minimis istis fissuris labiorum Germ. Schründen oder auffgesprungene Lefzen distinguantur) HIATVS LABIORVM, ROSTRA LEPORIS, Galli vocant BEC DES LIEVRES, Batavi HAESEMONDT, Germani Hasenscharten &c. vid. iterum SCHMITZ l. dicto, ut & BLANCARDVS in Lexico Medico Lit. L. Jam ad

Homonymiam, ubi notandum, quòd Labia Leporina, quatenus sunt affectus præternaturalis, non differant figura à labio supremo Leporis animalis quadrupedis, quæ vitiosa Labiorum conformatio loquelæ formandæque voci non solùm impedimentum sunt ingens, verùm etiam faciem totam reddunt indecoram.

CAPUT II.

MERITò descendimus nunc ad Descriptionem, ubi Labia Leporina dicuntur ea, quibus imperfecta sunt, & fissa ab ortu, vid. *SCHMITZ l. d.* singularis quoque considerationis morbus in labiis se exhibens, curationi Medicæ subjectus, est fissura ejus præsertim, quæ repræsentat Labia Leporum, à figura sic dicta, definitio eadem, quòd sint fissura seu hiatus in labio, præsertim superiore, vel ab ortu, ob

Matris

Matris Imaginationem fortem, vel post ortum ex vulnere, aliisque causis externis inflata, faciem reddens indecoram, suctionem & alimentorum assumptionem difficilem, formandæque loquelæ magno existens impedimento.

CAPUT III.

Sic similiter Subjectum generale statuo hominem utriusque sexus, qui considerandus ratione *Ætatum*, inter quas primariò *Infantes*, secundariò quoque adulti, quod utcunque à variisque causis externis ipsis infertur; hocque subjecto generali dilucidato, speciale quoque tractandum erit, illud nimirum statuo labium ipsum, interdum in una, quandoque in utraque parte. Labium autem superius præsertim ponit *Ioh. van HORNE. l. d.* & experientia quotidiana rei fidem facit; ut taceam forte aliquid conferre interstitium illud in labii superioris medio sub nasi columella; quod Græcis *Φίλτρον* vocatur, aliquid contribuere, ut labium superius facilius diffindatur.

CAPUT IV.

A subjecto immediatè me confero ad *Causas*, & quidem I. *Proximam* continuum solventem, quam statuunt aliqui esse objectum illud per quod lædi solet imaginatio, hæc enim, cùm mirum in modum ejusmodi terriculamentis aut diuturnis cogitationibus turbari possit, efficax esse potest talem foetum monstruosis labiis producere. Causa tamen proxima vera forte nemini, nisi soli Deo, nota. Quis enim mihi dicere valebit, ubi pars illa mandans imò hiatus labii, nec non pes, aut digitus sit, cum foetus fuerit perfectus, moxque, puta intra spatium 3. 4. vel 5. dierum, in lucem edendus, an ne pars illa mandans jacebit in utero, certè cùm secundinâ debebat excerni, sed cùm non fiat illud, quid cogi-

cogitandum ? Iterum quis valebit enunciare, foetu jam perfecto, & mox edendo, unde proveniat duplex unâ parte brachium, aut pes, aut caput, ane ex abundantia feminis? Ridiculum certè, Latet ἡ Ἰεῖον quid Divini, sensus nostros fugiens. Vellem ulterius me à sapientiori informari super hac re. Jam verò ad Causas remotiores, ubi inter alias sisto imaginationem matris, quæ vel leporem, vel alium hoc mulô laborantem adspexit, in primis eô tempore, quo non ita pridem concepit; à parte Patris quoque provenire posse, dubito; agnoscit tamen *BLASIVS Therapeut. special. C. 2. S. V. p. 300.* Ex parte mulieris eandem ferè causam, dicendo: Multis feminis in utero defectus aut pravitas (quod tamen veritati repugnare censeo) vel formatricis error, maximè si terror aut imaginatio primò conceptus tempore accesserit: Hancque causam unanimi voto ferè omnes statuunt, quibus modo volupe fuit de hac materia tractare aliquid. Porò in album remotarum causarum meritò pono *Res Naturales, TEMPERAMENTVM* biliosum, humores acres, corrodescentes, salinos, deinde *Non naturales, Aërem*, hinc accuso Aquilonarem, Cibos omnes valdè aromatizatos, vinum generosum meracum, motum nimium, obstruendo enim parit calorem præter naturalem, hinc exsiccat, Animi denique pathemata ordini Symptomatum horum colophonem addere solent; in *Præternaturalium* indice sunt contusio, vulnus, ulcus, casus &c.

CAPUT V.

Sicque cognitis his causis ad eorundem labiorum signa, & quidem transeundum nobis erit ad *Diagnostica*, his signis non opus est, quia pars affecta visui nostro sese satis offert, faciem valde deformem efficit, maximè si dentes simul exserantur indebite. Allegabo hujus loci *DIFFE-*

REN-

RENTIAS, ubi dico alia statim esse ab ortu, alia post ortum, alia labii tantum, alia verò maxillæ superioris, alia denique ossis Sphænoïdis divisi & fissi, ut exemplum posterioris allegat *RONHVYSEN Historic. Curarum. lib. 11. Obs. I. p. 6.* Simile exemplum palati simul divisi observavit Magnificus Dn. Præses A. C. 1685. Moguntiaë mense Septembri. Suus quoque

Signis Prognosticis debetur honos, quodque interdum periculosa sit hæc labii ruina, patebit ex sequenti Historia, dum nempe post sectam & labiorum colligatam fissuram pullus citò moritur, quæ causa est, quia in Palato ad uvulam invenitur satis magna viscidæ pituitæ copia, in qua suffocatus videbatur, quæ fortè ob commotionem, ejulatum & ploratum ex operatione causarum, delapsa à Capite fuit: reliquæ enim omnes partes & viscera sana erant, erat autem & palatum fissum usque ad sellam Turcicam, quemadmodum stylo percipi poterat, gingivæ quoque non coibant invicem ex parte illius fissuræ, prout hanc Historiam allegat *D. Joh. Rudolph. SALTZMANN Obs. Anatom. D. 23. Nov. Anni M. DCXI. p. 42. 43.* igitur eventus, prout ex hac relatione constat, est lethalis, præsentem nimirum confluxu humorum, præsertim copiâ pituitæ viscidæ magnâ, quæ obstruendo suffocationem minatur.

CAPUT VI.

Cumque multis varia sit sententia, dico ego operationem faciliorem esse negotii tunc temporis, si vitio tali juniores, adhucque sugentes laborent, in iis enim carnis teneritas, & ad labem hanc corrigendam adhuc apta, nisi vires tempusque lactationis obstant: In adultis verò labiorum carnem multò obductam callô, & jam induratum difficulter sanari posse nemo est qui repugnabit. Vidi tamen aliquem

quem Argentorati degentem, nescio num fuerit Civis an Ho-
 spes, qui Anno ætatis suæ 26. vel 27. præter propter felici cum
 successu fuit curatus, remanente tamen aliquali figurâ repræ-
 sentante Crucem. Operatio autem hæc feliciori gaudebit
 sine atque eventu, si tempore vernali aut æstivo instituetur,
 cum calor omnis (excipe p. n.) vulneribus agglutinandis
 majoris sit efficaciam, quam frigus, hoc siquidem ob adstri-
 ctionem, qua gaudet, obstaculo potius est.

CAPUT VII.

Sic præmissis istis, quæ ad instituti mei temporisque penu-
 riam spectare mihi videbantur, Methodum me-
 dendi sine remora aggredior, ubi operatio debet institui
Citò, ne per longam cogitationum seriem (quomodo nimi-
 rum hoc vel istud sit instituendum, hæc enim ante prius de-
 liberare oportet seriò & maxima cum industria) hæmorrha-
 gia nimia sequatur, & ita damnum infanti inferatur, sit ex
 mente *A. Corn. CELSI* cordatus, intrepidi animi, immise-
 ricorsque Chirurgus, neque ejulatum & ploratum infantis
 curet, sed se totum ad operationem ritè perficiendam ap-
 plicet, *Tutò* nec cum temeritate, sed omnia quæcunque a-
 git, prudenter agat Chirurgus, *Iucundè* verò ne molestias
 adstantibus & afflicto procreet majores. Porro *Indicatio*
curativa palmaria in hoc affectu est unitio, utpote quæ de-
 center, ut postea dicetur, lege artis est continuo vinculo ser-
 vanda, ne iterum labia distendantur à se. Summò semper
 studiò ad vires respiciendum, quæ quoque maximum sunt
 co indicans, quarumq; jactura quomodo toti officiat Corpo-
 ri, etiam Hospiti in Medicina erit notum, notiustamen ei
 qui Medicinæ addictus fuerit. Quid verò juvabunt ægrotum
 vanæ verborum jactationes, chartæque inania inscripta ver-
 ba, nisi quoque succurratur eidem.

CAPUT VIII.

Videbo igitur quâ methodô sit aggredienda Cura ipsa, quam potiori parte dependere à fonte *Chirurgico*, quam *Pharmaceutico* mihi persuadeo. Quando igitur ritè procedere velis, 1. dissita nec non hiantia labia excoriare, 2. excoriata futurâ medicamentisque agglutinantibus conjuncta conservare oportet, apud infantes recens natos tali malô affectos initiô secundinam mox oblinat applicetque, sicut & in aliis nævis maternis poterit non sine fructu procedere is, quicumque vitia emendare studebit eadem, nullum præterea agglutinationis fructum factura est ejusmodi futura, si quid cutis inter vulneris labra interjacuerit, quare quicquid ejus intererit excidendum est, aliâs unio non est speranda. *Ioh. VAN HORNE ap. Thom. BARTHOLIN. Epist. Med. Centur. III. p. 348. Epist. LXXXI.* adducit aliquod Exemplum in-
quiens: Ante sex circiter septimanas accessit me Chirurgus, indicans mihi monstrosum fœtum pridè natum, cumque ego videnti cupidus ab eodem ad ades deductus essem, vidi nihil aliud esse quam Labium Leporinum, & apici nasi adnatam particulam instar articuli pollicis, totum quoque palatum fissum esse, quapropter eum monui, frequentia ejusmodi monstra apud nos esse, imò usum sanitati meô consiliô & Chirurgorum operâ fuisse restitutum. Methodum curandi verò cur auctor dictus non apposuerit, non constat. Dixi supra, quod dissita, & à se invicem separata labii superioris latera excorianda sint, & cuticula inibi cum cute auferenda. Deinde conjungenda, tum conjuncta servanda futuris & aciculis, labii separatis partibus infixis, ultimò unguenta vel emplastra κολλητικά seu agglutinantia poterunt imponi. Parari verò solent ex variis adstringentibus aliisque ingredientibus v. g. Plantagine, Millesfolio, Sanicula, Pilosella, Consolida majore, Pimpinella, Sangui-

Sanguisorba, Pentaphyllò, Bistorta, Anagallide &c. è regno minerali poterunt usui esse, Therebinthina, Mastix, Thus, Sarcocolla, Osteocolla, sanguis Draconis &c. Hic existimo non reiicienda esse quædam olea, v. g. Momordicæ, Therebinthinæ, Mastichinum, Myrtinum. Juvabit præterea aliquid postquam excoriatio illa instituta est, vinum indere rubrum ori, quo cum os ipsum reddi potest mundum, gaudet enim quoque vi astrictoriâ nec non abstersoriâ.

CAPUT IX.

INterim quis cibus ægro est offerendus, fumò ne induratus, an multò sale conditus? Certè nequaquam, sed evptos, euchymos, vinum certò respectu, habitâque ratione ætatis concedendum Aquâ parùm dilutum, Aër omnis fugiendus frigidus. Motus habenda est ratio, somnus potius procurandus præ vigiliis, parùm vel nihil loquatur patiens adultus, alvus sit laxa, animi pathemata possibile quantum ad instar veneni exsecrentur, aliaque externa, quæ injuriam ægro inferre possunt, coërceantur. Qui plura volet, adeat Auctores supra citatos, nostri instituti nunc non est, omnia ad unguem tradere chartæ, cùm non solùm temporis, verùm etiam aliorum ratio finem imponendi suadeant: Interea Tibi Domine JESU, qui me è Diaboli potestate eripuisti, qui me à teneris huc usque conservasti, gratias habeo tempore quòvis, tuere me miserum imposterum, assiste porrò Clementiâ Tuâ, sit TIBI pro concessis viribus sempiterna Laus, Honor & Gloria



COROLLARIA.

1. **Causa LABII LEPORINI** non est imaginatio tantum.
2. **Calculus in renibus** non potest frangi, sed imminui, hinc
3. **Lithonthryptica** frustra ferè adhibentur.
4. **Diæta** magis necessaria quàm medicamenta.
5. **In Dysenteria** vinum convenit, Disting.
6. **Non datur Panacea.**
7. **Annorum Climactericorum** nullus est usus.
8. **Cometa** est naturale quid.
9. **Astrorum influxus** nullius est Momenti præter Solis.

In


Disputationem de Labiis Leporinis


PRAECLARISSIMI MEDICINAE CANDIDATI

JOH. PHILIPPI Hofmann /

προσφώνησις

P R A E S I D I S.



 *Vi studium LABIIS LEPORINIS grande locasti,*
 HOFMANNNE, *in labiis optima verba geris.*

Quod vitium labiis fuit haecenus undique magnum,

Officium sanum est, Dulcis Amice, Tibi.
A teneris labium P A T E R effingebat & Ora,

Ut nobis hodie verba diserta dares.
Det DEUS et labiis et Cordi prospera facta,
Sic acri labium Carmina grata dabit.

Joan-

Joannes Philippus Hofmann.

ἀνάγραμμα.

Hem! ann' lippi fusa! non: Sophi.

ἐπίγραμμα.

His calamo quæ *fusa* vides PRÆCLARA tabellis,
An ea sunt *lippi*, vel BONA DOCTA SOPHI?
Hem! non lippus iners arguto HÆC tradere scripto
 Possit: sunt CLARI digna RELATA *Sophi*
 Sic cujus medicam sapientia transit ad artem,
 Ille DEO similis: quod docet Hippocrates.
 Nicrini hoc simul *Excellentis* probar ordo Lycei,
 Qui *artis Apollineæ* dogmata sacra docet:
 Ἰσόθεος Francus, Lucas Doctissimus, atque
 Brunnerus Socris par Gener ille *Sophi*.
 Tu quoque jam *Sophiæ* pergis conjungere Hygeam,
 Hofmann, atque DEO reddere Te similem.

Specimen Inaugurale Præcellentis Domini Auctoris admiratus, inventâ per nomen ejus gratulationis materiâ, fausta omnia precatus scripsit

Ioh. Wilh. Christiani,

M. L.

Ex-

EXploras HOFMANNE Labri curas Leporini,
Sic auges numerum Doctorum, hinc jure mereris,
Ut TIBI certanti Phœbus sua præmia ponat.

*Ita gratulatur animo intimo Contubernali ac Commensali
dilectissimo*

P. W. V. a. H.
P. M. & M. L.

QVando HOFMANNE Tuô doctô Labium Lepori-
num

Monstras discursu, docta labella Tua
Insimul ostendis ; grator de pectore toto
Tantam doctrinam, promeritumque decus.

*Nobilissimo Auctori, Commensali dilectissimo paucis his
se commendare voluit*

David Lipach. U. I. C.

ESt Hofmanne Tibi curæ Labii Leporini

Scrutari causas, affectûs tradere curam.

Perficus hoc ipsum, ac magna cum laude reportas

Doctoris tantô meritam sudore coronam.

Gratulor ex animo Tibi, prospera quæque precando.

Fr. Christ. Schattenmann,

Land. Stud. Jur.

Nobi-

Nobilitat nunquam, quamvis gratissima forma
 Corporis : Ast animi tantum placet inclyta virtus
 Hoc decus, haud decus id, cum mens deserta decore;
 Hinc, HOFMANN, tuæ cum sint pulcherrima mentis
 Lumina, jam video sertum TIBI neſtere Muſas.

Dab. è Muſco Heidelber-
 gæ die 15. Novembris
 LXXXVI.

*Nobilissimo ac Praestantissimo Domino
 Candidato, Amico suo per amando
 pauca hac adjicere soluit, debuit.*

Joh. Ulricus Klotz.
 LL. Stud.

DE lepore aut *labiis leporinis* quando lepore
 HOFMANN perdocto differis ; euge BENE!

*Nobilissimo atq; Praclarissimo Domino Candidato,
 Fautori, Amico & Consalino honoratissimo
 posui*

Georgius Fridericus Francus,
 Phil. & Med. Cultor,

F I N I S.

